

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0966

0964

0970

0960

0975

0955

1015

0915


1065

0865

0465

Ende

Anfang



currentem, ac si esset aqua, et cum hoc totus aer plenus pulveribus est, ac si esset aer nebulosus, ita, quod homo non potest oculum habere apertum, sed nunc cogitur propter incidentes pulveres claudere, nunc propter necessitatem videndi cogitur aperire. Cum tanto autem impetu projicitur arena, ut non solum oculos laedat, sed ubicumque corpus denudatum tangit, laedit. Si est ventus contrarius et contra ventum procedant, excoecantur homines et nonnumquam aliqui suffocantur. Quandoque autem est tempestas adeo valida, quod non possunt procedere contra ventum viam suam, sed oportet sequi ventum, et durante tempestate dorsum vertere termino, quo tendebant per multa milliaria. Et nisi natura docuisset camelos, quod sine errore per invia procedere sciunt, numquam homines desertum penetrare possent. Hoc insuper periculum accidit, quod dum vallis aliqua de novo est arena impleta, vel fovea, vel voragine, quod bestiae pertranseutes cum hominibus et oneribus merguntur profundius et nonnumquam penitus obruuntur. Est autem arena deserti tenuissima, ita, quod optima esset ad horologia arenarum.

Aliud deserti periculum recitat Diodorus ille expertissimus, qui 30 annis Asiam majorem pervagatus est, L. 1. C. 5. Antiquarum historiarum, dicens: est inter Syriam et Aegyptum palus admodum profunda, quam Servoniam dicunt latitudine omnino angusta, longitudo super CC stadia protenditur, locis insciis pericula insperata afferuntur, in arcto enim contractam arenae cumuli circumstant, qui notis [motis?] ventis agitati in aquam deferuntur, adeo arena densa, ut immixta aquae continens i. e. terra firma videatur, neque facile, terra sit an aqua, discerni queat. Quo fit, ut plures ignota loci natura, neque viam edocti, vadum tenens [tenentes?] cum omni exercitu absorpti sint. Nam arenam, quae eminus stare ut continens videtur, ingressi labuntur longius, numquam deinde raptis gurgite regrediendi aut emergendi facultas datur. Limo enim demersi nullam sperant salutem, cum eniti aut uti viribus nequeant, sed absorbeantur in profundum ab arena, aqua circumfusa, cum veluti limus neque vado neque navibus sit pervius, quae res barati cognomen dedit. Haec ille. Propter paludem illam coguntur pertranseutes solitudinis circuire longa terrarum